



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 78. Quid notandum sit circa debita hypothecata & privilegiata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

ditoribus ad occurrentum ei necessitati , si autem de præsenti non solverit , postea non habet jus præferendi hunc creditorem aliis : Vide dicenda n. 407.

**387** §. 4. Uxor, filii & famuli necessarii possunt vivere & de præsenti solutionem acceptare ex bonis domini non potentis solvere creditoribus, quia dominus debet illis alimenta , nec aliter subsistere potest, unde creditores essent irrationabiliter inviti quoad dilatationem solutionis. Addit Laym. I. 3. t. 2. c. 11. n. 3. & 7. item 74. n. 217. mercedes operariorum ad necessarios usus conductorum præferri etiam hypothecatis debitibus , quia debita ejusmodi mercedum contrahuntur , non in fraudem , sed ad utilitatem creditorum , ut debitor fiat potens solvere , & aliquin nemo talibus debitoribus ære alieno gravatis serviret : hinc cum communi dicunt etiam rectè præferri solutionem rei emptæ , si debitor non ideo reddatur magis impotens, quia restitutio fieri poterit ex re empta vel ex utilitate majori, quæ debitori inde accesserit.

**388** Q. 78. *Quid notandum sit circa debita hypothecata vel privilegiata.* R. Si quoad utraque consultatur Theologus vel Confessarius , non resolvat ex tempore , sed potius remittat ad Juristas , aut consulat Auctores, nam plurima hic pendent à jure positivo & legibus particularibus vel consuetudine certorum locorum ; universaliter tamen notari possunt sequentia :

§. 1. Hypotheca dicitur , quando debitor non solum suam personam , sed etiam rem aliquam suam immobilem obligat pro debito, (si enim exponat mobilem , vocatur pignus) & tum

tum creditor habet actionem, non tantum contra personam debitoris, sed etiam in rem sibi obligatam, quæ obligationem illam semper secum defert.

§. 2. Hypotheca variè dividitur, alia enim 389 est expressa, alia tacita; expressa est, si debitor expressè rem obliget: tacita, quando neutro mentionem faciente res aliqua ex dispositione juris positivi obligatur pro certo debito, uti v.g. pro pecunia mutuò data militi ad arma emenda & similibus, de quibus *Lugo d. 20. f. 4. §. 1.* Item pro dote promissa marito, jus voluit obligari bona militis aut illius, qui dotem promisit, quamvis de eo nihil dixerint. Hypotheca iterum alia est generalis alia specialis; generalis est, quâ obligantur omnia bona præsentia & futura: specialis, quâ obligatur bonum aliquod particulare, v.g. hoc prædium: & de his possunt plura videri apud *Mol. d. 536. & Less. I. 2. c. 28. à n. 34.*

§. 3. Debitum hypothecatum sive reale præfertur personali, quamvis hoc fuisset anterius, L. *Eos qui, Cod. Qui potiores in pignore,* Ratio est, 1. quia hypothecæ ideo dantur, ut debita magis assicurentur & solutio sit certior: 2. Quia per hypothecam non solus debitor, sed etiam res est obligata, & quasi inchoativè facta est creditoris, ergo sicuti dominus rei præferendus est aliis creditoribus, ita & creditor cum hypotheca.

§. 4. Inter creditores hypothecarios ii præferendi sunt, qui sunt priores, hic enim valet Reg. 54. Juris in 6:, *Qui prior est tempore, potiore est jure:* Ratio est, quia res jam inchoativè facta est creditoris, ergo sine ejus voluntate non potest in alterius jus transfire: *Nec refert, quod forte traxerit*

390  
391

dita sit secundo creditori, nam res ad eum transi-  
cum onere seu obligatione ad priorem, uti ex  
Jure ostendit Lugo n. 62.

**392** §. 5. Creditores cum antecedente hypotheca tacita præferri debent creditoribus cum posteriore hypotheca, etiam expressa, ita Mol. Vasq. Lugo n. 41. Ills. t. 4. d. 3. n. 199. aliquic communiūs contra Nav. Silv. Ang. Ratio est, quia res non minūs est obligata per legem & ex priore dispositione iuris, quam ex voluntate consentientis aut ex dispositione posteriore: multæ tamē sunt exceptiones, uti si prior fuerit conditionata, posterior absoluta &c., de quibus vide ri potest Lugo §. 2.

**393** §. 6. Hypotheca generalis prior præfertur speciali posteriori, nisi prior generalis habuisset adjunctam specialem etiam sufficientem ad debitum, & posterior obligaret aliqua alia bona, tum enim satī innueretur solam obligationem specialem esse potissimum attendendam.

**394** §. 7. Quando bona debitoris auctoritate publicā distrahuntur, vel res hypothecata cum scitu & consensu prioris creditoris venditur, alienatur, in dotem datur aut alteri obligatur, prior creditor amittit jus prælationis saltem respectu hujus, cui permittit ultimō obligari, nisi moneat de sua prælatione, & protestetur de servando jure suo, uti adductis Legibus latè probat Mol. d. 536. & 537. Videri potest etiam Petsch. à p. 669.

**395** §. 8. Creditor privilegiatus, quamvis sit posterior, præferri debet non privilegiatis, etiam hypothecatis, uti ostendit Lugo §. 5., & tenent omnes communiter; unde sequentia debita tanquam privilegiata præferuntur.

1. Hy-

1. Hypotheca fisci respectu bonorum , pro 396  
quibus data est, si fuerint acquisita post contra-  
ctum cum fisco initum , L. Si qui , 28. ff. De jure  
fisci.

2. Mutuum ad extructionem aut emptionem 397  
rei , si hæc res in hypothecam assignetur , L. Licet ,  
Cod. Qui potiores in pignore : item ad conservatio-  
nem aut restaurationem rei , sive generaliter sive  
specialiter hypothecatae , L. Interdum , & L. Hu-  
jus , ff. ibid. Item datum à tutore nomine pupilli  
seu impuberis ad emptionem prædii , etiamsi  
non paciscatur in hypothecam , L. Denique , ff.  
ibid. Item datum pro causa militiæ , v. g. pro sol-  
vendis stipendiis , reservatâ sibi per instrumen-  
tum testibus subscriptum hypothecâ , Novella  
97. c. 4.

3. Recuperatio dotis pro uxore aut eius hæ- 398  
redibus necessariis , Mol. d. 572. n. 16. Castrop. tr.  
32. d. 1. p. 17. §. 7. n. 15. Ills. à n. 200. & habetur  
L. Affiduis. Cod. Qui potiores in pignore.

4. Expensæ ad funus , non tantum debitoris , 399  
sed etiam alterius , cuius funus procurare debet  
debitor ; item pro infirmitate , medicinis , testa-  
mento , inventario , solvendæ sunt ante omnia  
alia debita hypothecata & privilegiata , L. penult.  
ff. De Religiosis & sumptibus funerum , docentque  
omnes communiter cum Ills. n. 198. & 213. Vi-  
deri potest etiam Bonac. de Rest. d. 1. q. 6.

§. 9. Constitutio hypothecæ per publicum 400  
instrumentum ob præsumptionem fraudis præ-  
fertur factæ sine aut cum instrumento tantum  
privato , L. Scripturas , Cod: Qui potiores in pigno-  
re : potestque videri Castrop. n. 27. Similiter con-  
stitutio hypothecæ in contractu oneroso præfer-

tur hypothecæ in contractu gratuito, quia debita onerosa etiam præferuntur gratuitis.

**401** §. 10. Hypothecarii privilegiati habent se ad invicem, sicuti ad invicem se habent non privilegiati, hinc prior tempore est potior jure &c., communis cum *fls.* à n. 210., qui n. 211. recte notat cum *Castrop. Lugo, Haun.* & aliis contra *Vasq.*, eum, qui rem à se venditam sibi constituit in hypothecam, respectu illius rei præferri deberet absolute omnibus aliis creditoribus, potius enim sub tali conditione & reservatione vendere, ut si certo tempore non solveretur pretium, res ad ipsum rediret.

**402** §. 11. Post creditores hypothecarios veniunt chirographarii, inter quos, uti refert *fls.* n. 213., privilegiati sunt, 1. Qui pecunias aut alii depositum apud aliquem publicâ auctoritate constitutum, L. *Si ventri*, §. *In bonis*, ff. *De privilegiis creditorum*, & L. *Si hominem*, §. *Quoties*, ff. *Depositum*. 2. Respubica creditrix, L. *Bonis venditis*, ff. *De privil. credit.* 3. Pupillus contra debitorem ex amicitia gerentem ejus negotia, L. *Si negotium*, ff. ibid. 4. Sponsa repetens estimationem dotis absumpcta non secuto matrimonio, L. *Quæsitum*, ff. ibid. 5. Mutuans in solutionem creditoris personalis privilegiati, L. *Si ventri*, supra §. ult.

**403** Q. 79. *An etiam inter creditores mere personales tenenda sit Regula 54. Juris in 6, Qui prior tempore, potior est jure.* R. Negant *S. Anton. Silv. Ang. Nav. Bann. Arrag. Laym. Mol. Az. Vasq. Less. Turr. Regin. Castrop. Bonac. Herinx, fls.* t. 4 d. 3. n. 215. & recentiores communiter, teste *Lugo* d. 20. n. 146., videturque expressè ita definiri in jure civili, quod passim allegant; unde regulam